

22.
Q. F. F. S.

DISSERTATIO PHILOSOPHICA

ATTENTIONIS

PRÆCIPUA

IMPEDIMENTA & INCI-
TAMENTA CORAM CONTEM-
PLANDA SISTENS

Quam

*Consentiente Amplissimo Ordine Philosophico in
Regio ad Auram Athenæo.*

Sub PRÆSIDIO

Magnifici h. t. Rectoris

Mag. JOHANNIS HAARTMAN

Log. & Metaph. Profess. Reg. & Ord.

Publico bonorum examini modeste sistit

CHRISTIANUS WELINUS J. F.

Bor. Fem.

Ad diem 27. Nov. Anni MDCCXXXI.
loco horisque solitis.

ABOÆ, Exc. Reg. Ac. Typ. Joh. Kiämpe.

Maxime Reverendo atque Amplissimo Domino
Dn. CHRIST. MELARTOPOEO,
Dieceleos & Ecclesiæ Wiburgensis
Archi-Præposito Gravissimo Avuncu-
lo & Promotori certissimo,
Pia animi veneratione æternum
suspiciendo.

Admodum Reverendo atque Doctiss. Domino
Dn. CAROLO WALLENIO,
Pastori Ecclesiarum quæ Deo in Wes-
lax colliguntur longe dignissimo, Vi-
cini districtus Præposito Accuratissi-
mo, Fautori omni zelo venerando.

Plurimum Reverendo atque Doctiss. Domino,
Dn. CLAUDIO RENNER,
Scholæ Trivialis Biörneburgensis Re-
ctori Dignissimo, ut antea Præceptori
Fidelissimo, ita jam Fautori certissimo.

Perquam Reverendo at-
Dn. GUSTAVO
Sacellano in Wirmo Vigilantissimo,
Grata mente

Tenuiorem hunc tenuis ingenii fructum,
latis beneficiis, cum ardenti omnigena
adit, dicat,
Christianus

Admodum Reverendo atque Ampliff. Domino

Dn. JACOBO GARWOLIO,

Ecclesiarum Biörneburgensium Antistiti longe Meritissimo, vicini districtus Præposito Gravissimo, Scholæ Trivialis ibidem Inspectori Accuratissimo, Patrono ut desideratissimo, ita omni pietate ætatem prosequendo.

Plurimum Reverendo atque Doctiff. Domino

Dn. SAMUELI HORNÆO,

Ecclesiarum Euraḡminnensium Pastori longe Dignissimo, Fautori omni officiorum genere ætatem colendo.

Plurimum Reverendo atque Clariff. Domino,

Mag. SAMUELI HORNÆO Fil.
Scholæ Trivialis Uhloënsis Rectori
Accuratissimo Fautori multis mihi nominibus suspiciendo.

que Doctissimo Viro

PACCHALENJO,

Fautori ac benefactori Avunculi loco honorando

pro singularibus in se nullo non tempore colprospexitatis voto, qua par est observantia, dedicat.

Welinus

R.



L. B.

QUam necesse sit quibusvis, qui vel rebus cognoscendis, vel earum causis dignoscendis dant operam, ut examinent argumentorum pondera, & attendant ad rationum omnium momenta, quivis primo statim intuitu animadvertere potest. Constat enim per deplorandum primorum parentum lapsum totum genus humanum in crassissimam etiam terrestrium & naturalium rerum incidisse ignorantiam, adeo ut quarum cognitionem antea sine ulla molestia sibi potuit comparare sufficientissimam, earum jam multo sudore
A & la:

& labore, nec nisi interveniente
 sedula attentione, scientiam vix
 assequi possit aliqualem. Et sa-
 ne nisi propiore intuitu rem
 quandam perpenderemus, & ad-
 curatori examini subiceremus,
 perspicua & clara nobis nunquam
 evadere posset. Nam quemad-
 modum recte rem visibilem cernunt,
 non qui in trāscurso & volantib⁹ qua-
 si oculis eam aspiciunt, sed qui consti-
 stentes oculisque fixis intuentur: ita
 rectam illorum, que intelligenda sunt,
 perceptionem mens nostra non præci-
 piti quadam aut desultoria cogitatio-
 ne, sed attentā & circumspēctā con-
 sideratione assequitur ut verbis uta-
 mur magni illius Rōtenbechii; sive
 igitur legerimus, sive scripseri-
 mus, sive disquisiverimus, sive
 alia aliqua ratione in indaganda
 veritate occupati fuerimus, sedu-
 la opus est semper animi atten-
 sione. Probe hoc perspexerunt
 viro.

virorum quoque sapientissimi, qui pro augenda itaque *attentione*, cui ab ipsis studiorum initiis magis magisque dederunt operam, plurima notarunt observatu digna. Quibus inquirendis cum navaverim operam, tuoque illa jam L. B. subdicere iudicio sustinuerim, ut æquus sis arbiter, quâ par est observantia, & expeto & exspecto.

§. I.

VOces, quibus inscribitur hæc Disputatio, claræ sunt atque perspicuæ. Omnium primum itaque quæstionem hanc, de qua diu multumque inter eruditos disceptatum est, pro modulo ingenii, paucis enodemus, nempe: *utrum attentio à sola voluntate, an vero ab intellectu, an ab utroque simul pendeat?* Repertum

quidem sunt omnibus temporibus non pauci, qui priori sententiæ suam adjecerunt calculum, asserentes rotundo ore attentionem à sola voluntate regi, intellectumque prorsus in operando excludentes. Sed cum voluntas non possit statim efficere id quod imperat, verum est ex se potentia cæca, quæ absque prævia intellectus cognitione in nullum ferri potest objectum, exsequiturque tantum judicia intellectus satellitis instar; hinc sententiæ posteriori pollicem præbere nulli dubitamus, statuentes cum *Clariff. Syrbio* ipsam attentionis operationem ad intellectum, observationem vero ejusdem & imperium ad voluntatem referendam esse. Nemo enim sanus facile dixerit voluntatem quidquam appetere, nisi illud prius intellectui, aut ab imaginatione, aut etiam

sen-

5
sensibus ipsis fuerit repræsentatum, imo cognitum sibi & qualitercunque perspectum. Hinc tritum illud : *ignoti nulla cupido*, verissimum audit.

§. II.

JAM consideraturis ipsam *attentionis* nostræ indolem atque naturam facile patet, illam aspernari quasvis animi perturbationes, perspicuæ rerum perceptioni maxime nocentes, nullumque inadvertentiæ concedere locum, sed vel maxime continuam animi præsentiam, ad rem oblatam acrius perspicendam requirere. Quemadmodum enim levi non fas est credere considerationi, cum cavere debemus errorem, qui ex oculorum usu nascitur; ut facem adhibemus, propius accedimus, denique diu & dili-

genter consideramus, cum ob-
 jectum obscurum aut remotum
 est: ita nec perfunctoriis nobis
 adquiescere licet meditationibus,
 sed omni adhibita *attentione* mi-
 nima etiam quævis erunt exami-
 nanda. Cujus varias variorum
 eruditorum habemus definitio-
 nes. Celeb. Domino Claubergio:
attentio est debita & justa in rebus
considerandis mora. Domino Cle-
 rico: *est diuturna, nec intermissa,*
aut aliis cogitationibus interpellata
idea consideratio. Domino Chri-
 stiano Thomasio: *Attentio nihil aliud*
est, quam patiens & sedula considera-
tio alicujus, secundum omnes ejus
partes ac circumstantias. Celeberr.
 Dominus Wolfius dicit: *Attentionem*
esse facultatem quandam animi, qua
tam in sensatione, quam imaginatio-
ne, omnibusque reliquis cogitationi-
bus, in unam rem ita intenti sumus,
ut ejusdem præ reliquis habeamus
ratio-

rationem, ad conservandam (addo
obtinendam) evidentiam in cogita-
tionibus nostris.

§. III.

His prælibatis sequitur ut at-
tentionis jam impedimenta
breviter recenseamus. Fatemur
ingenue tot esse obstacula, quæ
attentioni moram injiciunt, quot
sunt in Hercinia flores, in gar-
gario aristæ, adeo ut si ea huic
Dissertatiunculæ inserere velle-
mus, ultra modum hoc crescere
videretur opusculum. Nonnul-
la igitur duntaxat ex multis con-
spicienda proferre animus est.
In his non ultimum sibi vindicat
locum prava quædam voluptas,
que quo major est, eo magis mentem
à sede sua & statu dimovet. Nihil
altum, nihil magnificum ac divinum,
suscipi potest ab iis, qui se totos in

*rem tam humilem ac contemnendam
 abjecerunt. Cicer. paradox. I.* Huic
 non inferiores sunt, bella, sedi-
 tiones, pugnae, timores, mœ-
 rores & omnis generis vanitates
 in regno mortalium regnantes,
 propter quas Plato se nihil ferme
 sapere posse agnoscebat. Item
 sensationes vehementiores; stre-
 pitus & tumultus aures verbe-
 rans, ingeniumque distrahens,
 & ejus aciem hebetans; lumen
 vividum oculos perstringens, &
 ira sanguinis æstum excitans:
 ex quibus animus, per tenerum
 illud vinculum quo corpori jun-
 gitur, non parum commovetur.
 Novimus enim nos natura ita dis-
 positos esse, ut ex motibus illis
 qui in organis fiunt, rerum quas-
 dam ideas nobis in mente repræ-
 sentemus, quæ eam tantopere
 occupant, ut attentionis o-
 mnino sit incapax, quam diu
 illis

illis afficitur. Nec sicco pede
 præterire possumus, Minervæ
 quantum adferat impedimenti
 insana veneris cupiditas, morta-
 libus rectum rationis usum sæpe
 numero intercipiens, quo mi-
 nus recta consilia sequi, honesta
 à turpi, verumque à falso cerne-
 re queant. Quanta ex ista o-
 mnium malorum; Lerna fluant
 incommoda, nobis brevitati li-
 tantibus declarare non vacat, ad-
 ducimus tamen unicum, quod
 quendam Philosophorum obser-
 vasse accepimus, qui, in homi-
 ne quodam, huic voluptati ni-
 mium quantum dedito ferme vix
 quicquam cerebri in sectione A-
 natomica repertum esse, docet.
*Lid. de la Forg. in notis ad Cart.
 de hom.*

§. IV.

CUM nec exiguam attentioni
 A s in-

injiciant moram morbi & invale-
tudines, necesse itaque est, ut
instituti ratione moti, justam
corporis & animi rationem ha-
bendam esse moneamus, quo va-
letudo, quæ fundamentum est
attentionis, servetur integra.
Non equidem diffitemur laude
dignum esse, in literis ætatem
agere, tamen adhibenda est cau-
tio, ne quis se suasque vires non
intermittente labore nimium at-
tenuet & frangat, de qua etiam
Poëta nos monet dicens:

*Quod caret alterna requie durable
non est.*

*Hæc reparat vires, fessaque membra
levat.*

Neque Deus Optimus Maximus
vult ut indefessis laboribus nos
maceremus; hinc animo sua non
est deneganda requies, imprimis
quam ille corpori, instar juncto-
rum

rum ad jugum equorum, conjunctus sit, cujus machina contextu nervorum, musculorum, venarum, arteriarum, sanguinis atque spirituum motu fulcitur & sustinetur, ideoque continuum laborem perferre nequit. Porro modicus observandus est somnus, quippe quum in somno cerebrum, à sanguine in arteriis contento, humectetur, homoque fortior ad munia obeunda surgat. Immoderatas è regione lucubrationes sanguine viperino cautius fugiendas esse monemus, multos enim lucubrando aciem oculorum amisisse, varios morbos attraxisse, mortemque sibi accelerasse, experientia testis est locupletissima. Utrumque itaque somnum puta & vigiliam, si modum excefferit, malum esse judicamus, lucubrationes intempestivas corpori detrimento esse
supra

supra ostendimus, *somnus quoque multus, ut ait Philosophus, nec corporibus, nec animis, nec rebus gerendis natura conducit. Quare qui vivere & sapere cupit, longissimo maximoque quam possit tempore, sola sanitatis commoditate servata, vigilabit. Plat. I. VII. de leg. Præterea animum attentionis esse incapacem, si corpus sit cibo potuque nimis repletum, juxta tritum illud: plenus venter non studet libenter, lippus & luscus sit oportet qui non videt, quippe quum ne mente quidem recte uti possimus multo cibo & potu repleti. Hinc quidam Amplissimi viri jejunium non parum comendaverunt, utpote quod, teste D. Augustino in sermone de jejunio, mentem purgat, sublebat sensum, homines leves & expeditos reddit, carnem spiritui subjicit, cor facit contritum & humiliatum, concupiscentia nebulas*

las dispergit, libidinum ardores extinguunt, cordis puritatem efficit &c.

Sed quicquid sit, satius tamen nos existimamus, si statuamus, pace Doctissimi Patris, singulos posse tantum nutrimenti capere, quo reficiantur non opprimantur vires, nec è re esse, ut inedia plus justo se maceret quisquam.

§. V.

HActenus attentionis impedimenta *ως εν συνοψει* rudi penicillo adumbravimus, restat jam, ut qua fieri potest brevitate, incitamenta & adminicula eandem excitantia & augentia, recenseamus. Profitemur quidem tot à variis viris eruditis jam excogitata esse adminicula, ut impedimentorum fere exæquent numerum, quæ ut
non

non omnia respuimus, ita nec omnia æque valida esse existimamus. Autumant quidam attentionem excitari usu herbæ nicotianæ, situ corporis nescio quo? picturis & imaginibus, atque id genus aliis quæ certis hominibus, & certis ex causis tantum conducere aliquando forte possunt, aliis nocent quam maxime. Hoc præ ceteris validissimum nobis videtur esse attentionis incitamentum, si quis sedulo secum pensitat, animum sine studiis ægrum esse, & vitam sine literis mortem, vivique hominis sepulturam; omnium deinde actionum atque horarum bene aut male collocatarum rationem Deo reddendam esse; proindeque ardentissimas etiam ad Deum fundendas esse preces, ut cœptis suis ex alto benedicere, sibi que adesse velit; hujus imprimis rei

priscos

priscos quoque ethnicos Philo-
 phos atque Poëtas observantissi-
 mos fuisse reperimus, quos in-
 ter *Socratem* nominamus & *Pli-
 nium secundum*, qui sine Diis ni-
 hil bene, nihilque feliciter se age-
 re posse agnoscebant. *Xenoph.*
Oecon. cap. 18. p. 536. Plin. sec. paneg.
fac. I. Si itaque gentiles, quo-
 ties rem aliquam magnam au-
 spicarentur, Deorum implora-
 runt auxilia, quanto magis de-
 cet Christianos, juxta monitum
 Apostoli, omnia in nomine Do-
 mini attentos agere. Non pa-
 rum attentionem stimulare po-
 test, seria meditatio commodo-
 rum vel incommodorum quæ
 nos manent, observata vel ne-
 glecta sedula attentione. Hujus
 rei exemplum nobis præbent
 pueri, quos nunc pollicitationi-
 bus bonorum, nunc commina-
 tionibus malorum, prout illo-
 rum

rum poscit indoles, ad attentio-
nem excitare solemus. Et sane
nisi nobis spes esset consequendi
aliquando præmii, ardor virtu-
tis plane languesceret, & vix tot
Musis nomina sua darent, tan-
tasque devorarent molestias.
Subnectimus jam æmulationem,
insigne ad attentionem incita-
mentum, quod vel testimonio
Ciceronis constat, qui, *trabimur,*
inquit, omnes laudis studio, & opti-
mus quisque maxime gloria ducitur.
Nec dubium est, quin hæc a-
nimi contentio multum condu-
cat ad accendendum animum ad
honestæ & præclara opera, ut ne
vel latum unguem à proposito
desciscat, de qua etiam Poëta:

Excitat auditor studium laudataque
virtus
Crescit, & immensum gloria calcay
habet.

Ovid.

Ovid. l. 4. de Pont. epist. 2. v. 35.
 Huic subjungimus admirationem quæ attentionem nimium quantum auget, quippe quæ efficit, ut ad res quæ raræ videntur rite contemplandas intellectum nostrum propius applicemus, definiturque ita, a *Dno Anton. le Grand in instit. Philos. de ment. hum. c. 10.* quod sit *subitaneus mentis impulsus, quo in attentam objectorum considerationem fertur, quæ illis insolita videntur, & quorum novitate percellitur.* Hunc animi motum primum gradum ulterioris cognitionis esse judicavit *Socr. apud Plat. in Theateto:* hanc admirationem Philosophiæ primum ortum dedisse adstruit *Plato* dicendo *ὅ γὰρ ἀπὸ τῆς ἀμύνης φιλοσοφίας ἢ τὸ θαυμάζειν.* Consentit *Aristoteles:* propter admirationem iniquiens inceperunt homines nunc *ἔστιν ἡ φιλοσοφία* *olim philosophari: à principio quidem admirando ea, quæ de dubitandis fa-*

*ciliora erant: deinde paulatim ulterius
 procedentes, etiam de majoribus du-
 bitando, ut de passionibus lune & e-
 orum qua circa solem & stellas fiunt,
 denique de generatione universi. qui
 vero dubitat & admiratur, putat se
 ignorare. Arist. Metaph. l. 1. c. 2.
 Neque tamen hic intellectum vo-
 lumus admirationem quandam
 extra orbitam deflectentem & in
 stuporem abeuntem sed modera-
 tam, quæ animum, novitate
 rei, lætum reddere potest. Huc
 denique accedit effatum illud di-
 gnissimum Xenophontis. εἶπε δ' ἔ-
 δέν ἔπως ἔτε εὐχρηστον ἔτε καλὸν ἀνθρώ-
 ποις ὡς ἡ τάξις, quod cum pluri-
 mum circa augendam attentio-
 nem habeat momenti, silentio
 heic involvere non possumus. Si
 itaque unum, uno tempore, ob-
 jectum nobis considerandū pro-
 posuerimus, & intellectum in
 plura non distraxerimus, facile
 omnem*

omnem vitabimus confusionem,
mentique consultum ibimus, quæ
simul pluribus non valet esse in-
tenta juxta vulgatum illud:

*Pluribus intentus minor est ad sin-
gula sensus.*

Insuper si rem jam cognitam sæ-
pius cogitando reiteremus, re-
petitio enim eorum quæ scimus,
est gradus ad notitiam eorum
quæ nescimus, adeo ut decima
repetitio pandat & aperiat ali-
quid, quod nona non detexerat.

§. VI.

DUm occupati sumus in re-
censendis incitamentis at-
tentionis, placet etiam nonni-
hil dicere de studiis illis quæ in-
genium præ ceteris acunt, nos-
que attentioni adsuæfaciunt. In
his

his primus locus tribui solet studiis Mathematicis, neque hoc immerito, quippe quæ maxime requirunt, ne cogitationes huc & illuc fluctuam instar vagentur, sed compositæ sint, præcipue in operationibus arithmetiis, in investigatione motuum corporum cœlestium, in dimensione locorum terrestrium &c. Nam si in demonstratione aliqua Mathematica, aut operatione arithmetica, semel duntaxat contingat aberrare, eo quod minus fuerimus attenti, denuo instituenda erit operatio, quod cum valde tædiosum & molestum sit, magis magisque attendere discimus, ne toties in casum laborare, & Penelope telam retexere cogamur. Si tamen liceat publice fateri, quod res postulare videtur, subsistimus in hoc Celeberrimi *Buddei*:
Ad excitandam mentem, attentionem-
que

que alendam fovendamque, adfectus interdum plus valet, quam mathesis, aut alia quaecunque disciplina. Idem forte dicendum de historiis, quas libenter audimus, & facile percipimus, nosque multa jucunditate sua oblectant, quarum tamen nexum nisi accurate observaverimus, perfecte eas intelligere non possumus, ideoque labor de integro retumendus est, donec ad perfectam illarum perveniamus cognitionem.

§. VII.

CUM a: omnibus horis non simus æque apti ad vacandum literis, non itaque alienum ab instituto nostro fore putamus, paucis dispicere, quod tempus attentioni sit aptissimum. Communis est sententia omnium Philosophorum matutinas horas aptissi-

ptissimas esse studiis, auroramque tertiam operis partem perficere, cui etiam nos, firmissimis rationibus ducti, subscribimus, quippe quam mens tunc, nondum multis visis & auditis, omnis perturbationis sit expertus: stomachus à cibo vacuus: memoria vegetior: corpusque discusso somno novis spirituum incrementis aptissimum ad subjiciendum sese labori, adeo ut illud omnium ore tritissimum: *AURORA musis amica*, verissimum audiat.

§. VIII.

Colophonis loco, loci ad attentionem idonei rationem summa qua fieri potest brevitate in medium proferre animus est. Si quis felici pede ad musarum adyta progredi velit, solitarium & à tumultu quantum fieri

eri potest semotum sibi eligat locum, ad exemplum Pythagoræ, quem *Laërtius* refert integro anno in specu quodam subterraneo latuisse, ut ab aliorum commercio tantisper abstineret, usque dum è *Philosophia* lucratus esset. Hinc etiam Poëtæ, Musas montes & solitudines incolere, fingebant. Es-
sent quidem adhuc nonnulla addenda, quæ ad nobilem hanc materiam spectant; verum res angusta domi ea omnia prosequi vetat.



En wänlig sägnad

Öfwer detta

Herr *CHRISTIAN WELINS*

Första snilles prof.

AUchtsamhet
I alt arbet
Ar nödig til at skatta:

Si Herr *Welin*

I pennan sin

Hårom wil något fatta.

Får får då fram

Med detta fram,

Den lärda flock förmera;

Wissheten snart

Och uppenbart

Er löna wil med åra.

Som beror uppå en redelig *affection*,
den i förthet sig *exprimerar*,

Genom Pennan.